celebritati promiscuus. Vita quippe functum corpus ritu hominum sumptuoso funere se-
peliunt. Sed ceream imaginem defuncto quam simillimam fingunt, eamque in regiæ
vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum atque sublimem vestibus in-
stratis aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa le-
ctum verò utrinque magnam partem diei sedent, à lævâ quidem Senatus omnis
pullis atris amictus; à dexterâ verò matronæ, quas virorum aut dignitas paren-
tum honestat, earumque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur;
sed vestibus albis exilibus indutæ, moerentium speciem præbent. Hæc ita per se-
ptem dies continuos faciunt, Medicis ad lectum quoque accedentibus, inspectumque ve-
lut ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus; dein ubi jam visus subi-
isse mortem, lectum humeris attollunt equestris Senatoriique ordinis nobilissimi ac le-
ctissimi juvenes, perque Viam sacram in vetus forum deferunt: ubi magistratus Ro-
mani deponere imperium consueverant; utrinque autem gradus quidam sunt ad sca-
larum similitudinem extructi, in quibus alterâ ex parte puerorum chorus è no-
bilissimis atque Patritiis; alterâ foeminarum illustrium, hymnos in defunctum
pæanasque canentium verendo et lamentabili carmine emodulatos. Quibus pera-
ctis tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in campum Martium: ubi,
qua latissimè campus patet, suggestus quidam specie quadrangulâ lateribus æquis
surgit, nullâ præterquam lignorum ingentium materiâ compactus in taber-
naculi formam. Id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum; extrà
autem intextis aurô stragulis atque eboreis signis variisque picturis exornatum.
Supra verò alterum minusculum quidem positum est; sed formâ et ornatu per-
simile, portis januisque patentibus. Tertium item et quartum semper inferiore
contractius: ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum,
perveniatur. Possis, laudatus Herodianus pergit, ~~ejus~~ ædificii formam comparare
turribus his, quæ portibus imminentes, noctu igne prælatô, naves in tutas statio-
nes dirigunt; Pharos vulgò appellant. Igitur lectô in secundum tabernaculum sub-
lato, aromata et suffimenta, omnis generis fructus, herbasque succosque omnes odo-
ratos conquirunt, atque acervatim effundunt: quippe neque gens est, neque civitas, neque
qui honore ullô aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisque suprema illa
munera Principis honori deferat. Ubi verò ingens aromatum acervus aggestus,
ac locus omnis oppletus, tum circa ædificium illud adequitant, universis ordi-
nis equestris certâ quadam lege, ac recursu motuque Pyrrichiô numeroque in orbem de-
currentibus. Currus item decenti similiter ordine circumaguntur, insessi parqu-
etis rectoribus, qui personas ferant, quæ habent imagines Ducum Romanorum
omnium, qui gloriosè vel exercitus duxerunt, vel rexerunt. Quæ ubi celebrata sunt,
facem capit imperii successor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri undique
ignem subjiciunt, cunctaque illicò fomitibus illis aridis odoramentisque re-
pleta ligni validô corripiuntur. Mox ab extremô minimoque tabernaculô, tanquam è
fastigio